



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs. V. De imperfectione materiæ componentis essentialiter corpus naturale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

hibet, atque retardat: materia prima naturalem impossibilitatem formarum corruptarum non cognoscit: eas ergo sicut ante corruptionem, ita etiam & post corruptionem, appetitu innato omnino naturali appetet.

54 Obiicies secundò, contra eandem assertionem nostram: Formæ corruptæ sunt naturaliter possibiles: ergo sub appetitum omnino naturalem materiæ cadere possunt, & debent. Antecedens probatur; in primis, quia carentiæ semel corruptæ, naturaliter possunt, solentque redire: quid enim est ignem, aquam, aliasque id genus substantias destrui, & ad non esse reuocari, quam earum carentias, quæ prius veluti fuere, iterum redire: præfatæ autem substantiæ naturaliter possunt, & solent destrui: ergo earum carentiæ naturaliter, vt dictum est, poterunt redire, quantumuis semel quasi corruptæ: quidni ergo formæ eis oppositæ, vt vt corruptæ nihilominus naturaliter sint possibiles, & apte redire, ad esse, quod prius habuerunt? Suadetur etiam idem antecedens, ex celebri illa paræmia, *idem, semper idem, natum est facere, semper idem*. At causa efficiens formæ corruptæ, v.g. igneæ, (par autem est ratio cuiuscunque alterius) est omnino eadem, ante & post eius corruptionem: entitas etiam illius formæ corruptæ, est eadem, quæ ante corruptionem: nec enim forma vlla corrupta, in chimæram desinit, sed ad pristinam regreditur possibilitatem, cum destruitur: cur ergo causa efficiens prædictæ formæ corruptæ, eam in eodem numero, & specie passo nequeat reproducere?

55 Ad primum horum respondeo, appetitum innatum omnino naturalem materiæ, ab ea ex parte distingui, & per naturalem possibilitatem formarum semper constitui, vt bene Arriaga citata disp. 2. sect. 4. subsect. 2. num 54. sic eum appetitum, modo per absentiam, modo per præsentiam formarum, compleri superius edocimus: quare materia, formas, quas semel appetit appetitu innato omnino naturali, postea tamen poterit ita non appetere; quia nimirum, quæ semel naturaliter possibiles fuerunt, possunt postea in impossibilitatem migrare. Deinde, esto (quod falsum est) appetitus innatus omnino naturalis, qui reperitur in materia, sit ei omnino essentialis, adhuc materia poterit in formas corruptas appetitu illo innato ferri. Quid enim vetat, materiam omnino essentialiter ac per seipsam appetere innatè prorsus naturaliter, pro instanti A. formas substantiales, quæ vsque ad illud corruptæ non sint, & pro instanti B. eas, quæ vsque ad illud corruptæ similiter non sint, & sic de reliquis? nam quod materia omnino essentialiter & adæquatè per seipsam formas appetat innatè prorsus naturaliter, hoc quidem, disputandi gratia, admissum, arguit appetitum illum ei semper conuenire, sed non pro semper, vt ita loquamur, aut pro instantibus, in quibus formæ intelliguntur iam corruptæ: qua ratione, Deus semper odio habet peccatorem, sed non pro semper, nec pro instantibus, quibus iustus est, cum pro iis eum amore prosequatur.

56 Confirmatio autem obiectionis non vrget: siquidem appetitus efficax elicitus fertur in bonum conueniens, & naturaliter possibile, media eius cognitione: quare mirum non est, quod cognitio impossibilitatis ab eius efficaci amore voluntatem auertat, aliàs interdum non auertendam, præsertim si supernaturaliter, ac de potentia absoluta, non appareat possibile: at appetitus efficax innatus, & omnino naturalis, materiæ primæ in bonum conueniens, & naturaliter possibile, quæ talis, fertur immediatè, & non media vlla cognitione: vnde seorsim à quavis cognitione, eiusve defectu, poterit in materia cessare, cessante naturali

possibilitate formarum corruptarum; nimirum, quia eo ipso cessat conditio obiectiua, sub qua tendit, quatenus est talis materiæ appetitus.

Ad secundum respondeo, negato antecedenti: Prior autem eius probatio facile dilui potest, dicendo, cum corrumpitur forma ignis v.g. haud redire, eius vt existentis secundum se, siue existentia illius secundum se, carentiam: quippe, quæ nunquam fuit: quæ ergo carentia incipit post corruptionem talis formæ: Sanè non nisi durationum, per quas posset illa forma postea existere, & durare, simpliciter tamen & propriè non existit: carentia autem priuatiua durationum sequentium, non redit, sed incipit pro tempore, quod iis durationibus, si existerent, responderet, modò verò non iis respondet, sed corruptioni formæ substantialis, cuius sunt durationes. Sed de hoc latius alibi. Si cui tamen hæc doctrina displicuerit, dicat carentiam formæ ignis secundum se, & similia formarum, post corruptionem redire quidem naturaliter, vt in argumento probe ostenditur; non tamen easdem numero, sed specie: nec absurdum esse, quod eiusdem formæ positiuæ dentur carentiæ solo numero diuersæ.

Posterior etiam probatio antecedentis negati, non est magis momentosa: nam ante & post corruptionem formæ, status rerum omnino idem non est, quoad modum, quantumuis quoad substantiam idem sit: hæc autem diuersitas, quoad modum, sufficit, vt causæ efficientes & materiales formæ corruptæ ad eam iterum concurrere nequeant, vt ex nostris argumentis perspicue constat. Aut dic, idem, semper idem, esse natum, aptumve, facere semper idem, quoad speciem, non verò quoad numerum: hoc autem aduersariis quid potest prodesse?



TRACTATUS V.

De imperfectione Materiæ componentis essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An materia prima, de facto existens, sit imperfectior omni alia materia, & substantia possibili?



1 SUPPONO ad hanc questionem, & sequentes, materiam primam, quæ de facto existit, non habere summam perfectionem, nec, quod perinde est, esse Deum. Quamuis enim id existimarit quidam Dauid de Dinando, apud B. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. & Albertum tract. 3. Phys. c. 13. & lib. 6. Ethic. tract. 2. cap. 14. at hoc errore nihil esse stultius iure affirmat S. Doctor vbi supra. Suppono item, materiam, ne in eximio aliquo perfectionis gradu esse, sed potius esse imperfectiorem, Angelo, anima rationali, aliisque multis formis substantialibus, præsertim perfectorum viuientium: quod etiam manifestum est, & ab omnibus Philosophis ac Theologis receptum.

2 His constitutis, materiam, quæ de facto existit, esse in primis inter omnes materias possibiles, (si fortè plures sunt possibiles) necnon etiam inter omnes substantias,

stantias, seu creatas, seu creabiles, imperfectissimam, rueretur Durand. in 2. q. 1. Argentin. in 1. dist. 44. q. 1. art. 2. Richard. quodlib. 2. q. 5. Egid. quodlib. 3. q. 5. Ioann. de Neapoli. q. 1. Abulens. in cap. 2. 2. Matthæi q. 2. 2. in idiplum inclinatur Scotus in 2. dist. 12. q. 2. ad argum. Eandem sententiam sequitur Suarez disp. 13. Metaphys. sect. 1. num. 6. Collegium Conimbriensis lib. 3. Phys. cap. 8. q. 3. art. 2. & alij pro qua

3 Obiicitur in hunc modum. Possibilis est substantia omnium infima, & imperfectissima: eiusmodi igitur est materia à Deo producta, quam propè nihil Augustin. ob eius imperfectionem nuncupavit. Antecedens probatur, primo quia ad perfectionem diuinæ omnipotentia minime spectare videtur, quod substantias imperfectiores, & imperfectiores in infinitum, producere possit: haud secus ac perfectionem artificis creati minime commendat, quod magis & magis imperfectè operari possit, sed potius quod perfectius & perfectius operando sit: ergo ad substantiam imperfectissimam, ab omnipotentia Dei producibilem, est deuenire. Secundò, quia in quantitate permanenti, & successiua, deuenire est ad minimum, videlicet ad instans, & punctum: similiter ergo, in quantitate entitatis, seu perfectionis substantialis, deuenire erit ad substantiale minimum, siue ad substantiam perfectione infimam. Tertiò, quia species sunt sicut numeri, ut fert communis parameia, & ut Dionysius de diuinis nomin. perspicue edocet, in quibus, species rerum creatarum à Deo procedere, sicut numeri ab unitate deriuantur: at in numeris est assignare numerum minimum, nempe dualitatem: ergo in speciebus substantiarum erit assignare substantiam perfectione minimam: quo spectat illud Philonis Iudæi, in lib. allegoriarum: *Binarius est imago materia, quæ diuiditur secaturque, tanquam mortalis*: vbi videtur, materiam inter substantias imperfectissimam, binario, numerorum imperfectissimo, comparare.

4 Secundò probari solet eadem sententia, à quibusdam Recentioribus, hoc pacto. Si esset possibilis aliqua materia, aut substantia, imperfectior materia de facto existenti, ea actu existeret: sed ea actu non existit, ut vtrinque supponimus: ergo nec potest existere. Sequela probatur, quia omnis substantia suapte natura postulat, ut omnes aliæ substantiarum species, se imperfectiores, existant; ob appetitum quandam excellentiæ, & dominationis, rebus omnibus insitum, quo aliæ aliis præesse ambiunt; quæ relatio præcellentiæ intelligi non potest, quin quæ excedunt existant: si ergo esset possibilis substantia aliqua, materia prima de facto existenti, imperfectior, ea ex natura rei de facto existeret.

5 Oppositum tamen longè probabilius est, quia repugnat substantia creata omnium perfectissima, ut ostenditur in loco: igitur & omnium imperfectissima: ac proinde huiusmodi non erit materia prima, quæ de facto existit. Consequentia perspicua est, nam sicut infinitam perfectionem creatoris haud parum manifestat, quod possibile sint substantiæ perfectiores in infinitum, quin vlla ad eius perfectionem aded accedere possit, ut alia magis accedere nequeat; ita similiter infinitam, omnique ex parte illimitatam, creationis perfectionem, & excellentiam, mirum in modum ostentat infinitus processus substantiarum possibilium, quarum nulla ita imperfecta sit, aut ita ab infinita perfectione Dei recedat, quin alia ab ea magis recedere, & imperfectior esse possit: nisi enim substantia Dei infinita esset, sanè substantias creatas imperfectiores, & imperfectiores in infinitum, & absque termino, sub se non posset habere.

6 Declaratur: Deum posse producere substantias magis, & magis imperfectas in infinitum, quin ad imperfectissimam descendere possit, non est eum magis imperfectè in infinitum operari posse: hoc enim secundum denotat imperfectionem, non tam in re operata, quam in modo operandi; modus autem operandi imperfectus repugnat Deo, quippe qui res imperfectissimas perfectissimè operatur; & in iis non minus, quam in perfectissimis summa prudentia, & arte regitur: illud autem prius imperfectionem in sola re operata indigitat; in quo nulla repugnantia apparet.

7 Deinde, in quantitate continua versus minimum est procedere in infinitum, ita ut nulla quantitas eius exiguitatis assignari possit, quin alia minor possibilis sit, ut lib. sequenti ostendemus: similiter ergo in quantitate perfectionis substantialis, ad substantiam imperfectissimam, & minimam, deuenire non est. Quod autem in quantitate continua permanenti, & successiua, ad minimum aliquod, nempe punctum, & instans gradus sit, nihil obest: siquidem punctum, & instans, quantitas non sunt: quare ad quantitatem minimum, eorum merito, non deuenitur: vnde neque, ad quantitatem perfectionis substantialis minimam, licebit vnquam deuenire.

8 Quod verò in quantitate discreta ad numerum minimum, videlicet, dualitatem, deueniatur, non magis obest: siquidem numerus binarius numerorum omnium non imperfectissimus est, sed potius perfectissimus: tum quia reliquis simplicior est: simplicitas autem ad perfectionem attinet: tum quia præ reliquis numeris magis sui communicatiuus est, cum nullus numerus sit, in quo non contineatur: esse autem sui communicatiuum, ac diffusiuum, bonitatem, & perfectionem arguit: quare in numeris non est dare numerum imperfectissimum: dualis enim perfectissimus est, & quo magis reliqui à dualitate abscedunt, eo magis imperfecti sunt: cum ergo nullus numerus à dualitate abscedat, distèrve infinitè, & summè, aut ita ut alius ab ea remotior non sit, sanè nullus numerus imperfectissimus erit: quid ergo mirum, si similiter impossibilis sit substantia imperfectissima? Atque ex his patet ad primam obiectionem, & eius probationes.

9 Ad alteram obiectionem respondeo, materiam de facto productam, non necessariò debere postulare existentiam aliarum substantiarum imperfectiorum, esto aliæ imperfectiores sint possibile: nec id verisimiliter colligi, ex appetitu illo excellentiæ: siquidem rebus creatis suapte natura finitis, & imperfectis, non minus consentaneus est appetitus subiectionis, quam dominationis, & excellentiæ: at non habent appetitum naturalem subiectionis, ratione cuius irrefragabiliter postulent substantias omnes se perfectiores existere; ut iis subesse possint, alias Deus ex natura rei perfectiora facere non posset, quam quæ fecit? Ergo &c.

CAPVT II.

An materia prima sit imperfectior omni forma substantiali.

10 **A**ssero primò. Materia prima ex genere suo est necessariò & semper imperfectior forma substantiali. Hanc assertionem claram & euidentem censet P. Suarez disp. 13. Metaph. sect. 11. num. 11. ibi: *Materia ut sic distinguitur intra latitudinem substantiæ,*

stantie, tum à substantia completa, siue composita, siue simplici: atque hoc modo clarum est, genus materiae ut sic minus perfectum esse quam genus formae, & à fortiori, quam substantiam compositam, vel completam. Ratione suadetur, quia in genere formae est aliqua aded perfecta, ut quaecumque materia possibili longè perfectior sit: genus ergo formae perfectius est, quam genus materiae, cum perfectio continentium perfectione contentorum metienda sit, atque aded forma ex genere suo perfectior est quam materia, & hæc illa imperfectior. Antecedens conspicuum est: quæ enim materia excogitari potest, quæ animo rationali perfectione non decedat? Intra formæ ipsæ materiales, esto sensibiles & vitales, vsque eo perfectionis euehi nequeunt, ut animi rationalis perfectionem assequantur: multò ergo minus materia vlla eam poterit assequi.

11 Aliter etiam suadetur eadem assertio: tum quia accidens ex genere suo substantia imperfectius est, quam unius aliquod accidens substantia aliqua fortasse perfectius sit: Ergo à pari, &c. Tum etiam, quia materia in composito substantiali, potius quam forma, subiecti vicem obtinet: at, supposita propria existentia materiae, distincta ab existentia formae, id explicari nequit, nisi per hoc quod materia sit imperfectior, quam forma: materia ergo, saltem ex genere suo, imperfectior est, quam forma: ea namque inæqualitas perfectionis, fufius & laxius nequit explicari.

12 Asserto secundò. Valde probabile est, materiam primam, de facto existentem, imperfectiorem esse forma substantiali, non tantum ex genere suo, sed, quod plus est, quaecumque forma substantiali, in particulari sumpta. Ita P. Suarez, vbi supra. Et probatur primò, quia hac ratione pressius & melius exponitur, cur materia potius quam forma munus subiecti gerat. Secundò, quia forma quaecumque est principium operationum compositi sui, materia verò earum dumtaxat principium receptiuum: forma ergo, quaecumque sit, perfectior erit, quam materia, & hæc imperfectior, quam illa. Antecedens quoad priorem eius partem, & est per se perspicuum, & perspicue traditur à B. Thoma 1. p. q. 105. a. 5. corp. vbi de Deo sermonem habens, de que concursu, quo causis secundis, ut sic, cooperatur, ita inquit: *Vnde non solum est causa actionum, in quantum dat formam, que est principium operationis, &c.* Posterior etiam antecedentis pars non minus manifesta est: si enim materia, quæ de facto existit, esset radix effectiua operationum compositi, ad instar formae, non esset sanè, cur operationes determinatas non peteret, sicut illas forma postulat: atqui operationes determinatas non exposcit, sed his vel illis specie diuersis, experientia teste, contenta est: ergo, &c.

13 Vterius suadetur eadem assertio, quia si materia prima, actu à Deo producta, non esset imperfectior quacumque forma substantiali, certè posset etiam fingi materia aliqua possibilis, vsque aded perfecta, ut non solum formam aliquam substantialem, verum etiam substantiam completam, æquare, aut superare possit, quod ridiculum est. Ad hæc, iuxta plures aduersarios, imperfectissimum viuens quouis non viuentis quamlibet perfecto perfectius est; nec sol v. g. muscæ perfectionem assequitur: at quid verisimilius, quam formam substantialem qualemcunque ita debere comparari cum materia de se informi, sicut, id quod viuunt, cum eo quod est vitæ expers? Ergo &c. Tandem, si materia de facto existens, aut vlla alia possibilis, eo perfectionis euehi posset, ut formam aliquam substantialem æquaret, non esset, cur aliqua

materia vsque ad perfectionem animi rationalis gradum facere non posset; quod tamen commentitium, & chimericum esse, quis ambigat?

14 Asserto tertio. Probabile etiam est, materiam aliquam, non solum possibilem, verum etiam existentem, haud esse imperfectiorem, sed potius magis perfectam pluribus formis substantialibus. Non nihil in hanc assertionem inclinat P. Suarez vbi supra. Et suadetur primò, quia materia prima cum forma cineris v. g. tam informis penè videtur, ac sine illa: nec decorem ea vllum, vllamve speciem materiae superaddit. Secundò, quia materia creatur, & est immortalis; cum tamen forma cineris generationi, & corruptioni, obnoxia sit. Tertio, quia bonum est diffusiuum sui, teste Dionysio de diuin. nomin. at materia prima magis diffusua sui est, quam forma cineris; cum altera quodcumque compositum substantiale specie diuersum, altera verò vnum dumtaxat constituturæ possit: hoc ergo etiam ex capite materia cineris melior & præstantior, quam eius forma, esse videtur. Quarto, quia melius & præstantius apparet, inchoare ens naturale perfectissimum, quale est homo, cælum, &c. quam complere ens naturale, quo vix aliud imperfectius reperias: illud autem prius materiae cineris conuenit, hominis enim ac cæli compositionem inchoare, & eius quasi basis esse potest: hoc verò posterius, formæ cineris competit.

15 Quod autem forma cineris aliquarum operationum principium effectiuum sit, secus verò materia; aliunde compensatur, per hoc quod materia possit esse principium susceptiuum infinitarum penè operationum specie diuersarum, quarum alia vitales, alia non vitales, alia transeuntes, alia immanentes, omnes tamen perfectissimæ sunt; cum tamen operationes, quas forma cineris efficere potest, paucæ & imperfectissimæ sint suapte natura. Quod verò forma semper materiam præsupponat, atque aded ea perfectior esse videatur, eo quod eius quasi complementum sit, & natura non nisi ab imperfectis ad perfectiora ascendat; hoc inquam non obest, quia etiam accidens præsupponit substantiam, quam tamen perfectione non superat.

16 Tandem, quod forma ex genere suo materia perfectior sit, non obstat etiam: quia visus v. g. ex genere suo perfectior est, voluntate humana, propterea quod visus sub facultate cognoscitiua, & voluntas sub appetitiua contineatur; genúsque facultatis cognoscitiua fortassis perfectius sit, genere facultatis appetitiua: & tamen visus absolute perfectior non est humana voluntate, sed potius longè imperfectior: similiter ergo in præfenti, &c. Verùm esto hi, & alij complures perfectionis gradus, pro cuiusque arbitrio, materia assignentur, probabile tamen semper manet, quod superius asseruimus secundo loco, eam nunquam ad perfectionem formæ euehi posse, nedum eam superare: sicut quamuis fingatur bellua aliqua, quæ suapte natura creetur, & immortalis sit, quæque nunquam, & nunquam non sit, aliosque perfectionis gradus ab homine alienos sibi vendicet, ea tamen perfectionem hominis assequi, aut præterire non poterit.

CAPVT III.

An materia prima, de facto existens, sit imperfectior omni ente, non solum substantiali, sed etiam accidentali, existenti, & possibili?

17 **D**ico non esse: quia, vt superius ostensum manet, probabile est, eam esse perfectiorem aliqua forma substantiali: ergo pro certo, & explorato habendum est, illam esse perfectiorem aliqua forma accidentali: & sic haud potest esse imperfectior omni ente, non solum substantiali, sed etiam accidentali. Secundò, materia prima suas habet proprietates accidentales, v. g. quantitatem, si fortè ab ea distinguitur, v. b. cationem, durationem, &c. His autem est perfectior, cum omnis essentia perfectionem suarum proprietatum non solum adæquet, sed etiam superet: ergo, &c. Et quidem nostram sententiam tuentur Conimbricenses lib. 1. Phys. q. 2. art. 3. & lib. 3. q. 3. art. 2. circa medium, ac Balthasar Tellez d. 22. l. 5. concl. 3. qui etiam pro eadem sententia refert Beatum Thomam, Fonslecam, Soarium, & Valquez.

18 **O**biicies tamen in contrarium primò. Materia prima dicitur ab Augustino prope nihil lib. 12. confess. cap. 7. ibi: *Fecisti caelum, & terram* (id est materiam primam) *duo quadam, vnum prope te, alterum prope nihil, vnum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.* Rursus à Platone vocatur materia non ens: nam in Timæo sic disputat: *Quid est quod semper est, generationem autem non habet? Et quid est, quod gignitur quidem, nunquam autem est? Vbi iuxta communem Auctorum interpretationem, per id, quod semper est, idæam, & per id quod non est, non aliud, quam materiam primam intellexit. Quamobrem rectè Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. Sciunt ergo (stoici) eam que vocatur materia, que ab ipsis dicitur expers qualitatis, & figura, audacius quoque à Platone dictum esse, id quod non est.* Præterea eadem materia appellatur à Platone, *Magnum, & paruum*, nimirum quia vt interpretatur Porphyrius in lib. de occasion. c. 11. *Fit semper, manet verò nunquam, neque tamen aufugere potest; quippe, cum totius entis sit defectus: quamobrem quidquid promittit, mentitur, ac si magnum quid appareat, iterum euadit paruum, quasi ludus quidam est, in non ens aufugiens.* Quid plura? tum à Platonicis, tum ab aliis vocatur materia, primæ essentiae inanis vmbra, primæ vitæ fax, regio dissimilitudinis, siue Deo dissimillima. At id nequit non esse imperfectissimum, inter omnes substantias, omniaque accidentia creata, quod est prope nihil, quod non ens, quod primæ essentiae non nisi inanis vmbra, quod primæ vitæ non nisi fax, quod propter summam à Deo distantiam, & dissimilitudinem regio dissimilitudinis est, & appellatur. Materia ergo prima de facto existens, quæ præfatis nominibus appellatur, & cui eorum sensus, ac vis conuenit, haud potest non esse imperfectissima, ac postremæ notæ inter omnes creaturas substantiales, & accidentales, siue existentes, siue possibiles.

19 **R**espondeo tamen, materiam primam dici ab Augustino, Platone, & aliis, non ens, prope nihil, &c. non in sensu formali, sed tantum in sensu causali; eo nimirum, quod sit causa, cur omnes res sublunares, quæ existunt, aliquando intereant, reducanturque ad nihil, & non ens: ad modum, quo dicitur Christus v. g. nostra salus, & redemptio, non formaliter sed tan-

tum causaliter; quia scilicet meritis suis nos saluauit, atque redemit. Materiam autem causaliter esse nihil, & non ens, haud potest eam arguere imperfectissimam, inter omnia entia creata: alioqui etiam formæ ipsæ substantiales possent similiter imperfectionis, eiusque summæ, insimulari, cum vna forma substantialis sit semper in causa, vt alia intereat, & ad nihil, ac non ens reuocetur. Confirmatur, quia ideo materia est causa interitus rerum & formarum, talisque censetur ab Aristotele lib. 7. Metaph. cap. 7. tex. 2. 2. & lib. 9. Metaph. c. 9. tex. 17. quia dum subest vni formæ substantiali, est capax recipiendi dispositiones contrarias, eiusque destructiuas, & ad aliam formam ducentes: at formæ substantiales, quæcunque sint, non materialiter, sed, quod plus est, effectiue causant dispositiones destructiuas aliarum formarum sibi oppositarum: potiori ergo iure formæ substantiales sublunares mutuum sibi interitum parant, quam paratur eis à materia, ex qua constant: & tamen non ob id formæ illæ censentur imperfectissimæ omnium rerum creaturarum: ergo &c.

Porro mentem Augustini, Platonis, & aliorum eam esse quam diximus, facile demonstratur. Nam etiam materia dicitur à Platonicis priuatio formæ: at hoc esto intellexerit Aristoteles lib. 1. Physicorum c. 9. in sensu formali, & ita ab eo intellectum ibi refutetur, intelligendum tamen est in solo sensu causali: vt non aliud sit, quam materiam causare priuationem formæ, quam habet, appetendo scilicet aliam: qua de causa etiam vocatur malefica à Platone, & discipulis: similiter ergo non ens, nihil, &c. ab iis, nisi in eodem sensu causali, non appellatur. Quod materia ab illis priuatio haud potuerit dici, in sensu formali, seu per identitatem, patet: tum quia, vt arguit contra eos Aristoteles vbi supra, materia appetit formam: sed priuatio formæ non appetit formam, aliàs appeteret suam destructionem: ergo materia non est formaliter priuatio formæ: tum quia, materia existit existente forma, sed priuatio non existit existente forma, cuius est priuatio; materia ergo non est formaliter & per identitatem priuatio formæ. Hæc quidem capita distinctionis inter materiam & priuationem sunt euidentissima: nec credibile est ea latuisse Platonem & discipulos: proinde iuxta illos materia non dicitur priuatio per identitatem vtriusque, aut in sensu formali.

Rursus iidem dicunt, materiam generari, vt patet ex verbis Platonis supra allegatis: at euident est, materiam primam, cum sit primum subiectum, ex nullo subiecto se priori formaliter educi aut generari, sed potius creari: solum ergo dicitur ab illis generari in sensu causali quatenus scilicet est causa generationis rerum omnium, recipiendo dispositiones, ad hoc vt continuò generentur formæ, formarumque composita: quidni ergo eodem sensu causali dici ab illis credamus materiam esse non ens, nihil, &c. nec ab illis tantum, sed ab Augustino, & reliquis? Tandem ab Aristotele lib. 1. Physicorum c. vltimo, quem sequuntur Conimb. articulo 2. ad finem; materia dicitur interire per denominationem à priuatione intereunte, & quodammodo gigni per denominationem ab eadem priuatione in ea incipiente: cur ergo non potuerit etiam dici à Platonicis, & aliis, nihil, non ens, &c. per denominationem à priuatione, cuius est causa, & quæ nihili, & non entis, rationem verissime obtinet.

At inquit: si materia vocatur non ens, ac nihil per denominationem à priuatione, & intentione rerum, quam causat, & merito cuius facit, vt quæcunque

que sunt, existuntque, postea incipiant esse non entia, & nihil; cur è contrario eadem materia non appellatur maximè ens: siquidem teste Aristotele 1. œconom. cap. 3. & 2. de gener. cap. 9. text. 5. 1. est causa existentia & conseruationis rerum omnium sublunarium, nouasque semper dispositiones, & formas suscipiendo, facit, vt omnium entium species in ratione entium vniuerso consentent, & conseruentur? Occurrit tamen ad hanc dubitationem facile potest: primò si asseratur materiam à Platone, & aliis, vt visum est, non solum paruum appellatam esse, sed etiam magnum: quod perinde est, ac si eam nuncuparent, non tantum non ens, & nihil, sed etiam ens & aliquid. Item secundò, cum denominatio sequatur debiliorem partem, vt est in communi prouerbio, quid mirum, si frequentius dicatur materia non ens, & nihil, aut propè nihil, à rerum interitione, cuius est principium, quam ens à conseruatione & existentia rerum, quæ ei veluti causa debetur? Hactenus prima pro contraria opinione obiectio.

23 Obiicies pro ea secundò. Non est potior ratio, cur assignari debeat inter omnia entia ens aliquod perfectissimum, nempe Deus, quam etiam inter omnia entia ens aliquod imperfectissimum: hoc autem aliud esse non potest, quam materia prima, quæ de facto existit: ergo &c. Respondeo negata maiori: nam potius ex ente perfectissimo sequitur impossibilitas entis imperfectissimi, quam eius possibilitas; cum certò certius sit, primi ac perfectissimi entis perfectionem commendari, ex eo quod habeat sub se entia creata, non tantum magis & magis perfecta, sed etiam minus & minus perfecta in infinitum, quæ possit producere; ita vt quemadmodum non est assignare inter entia creata ab eo producibilia perfectissimum, sic nec imperfectissimum. Insuper, vt c. 1. dicebamus, nullus numerus ab vnitatem summè recedit: nulla ergo creatura à Deo summè vno summè recedere potest, aut ita, vt non possit dari alia, quæ magis ab eo distet, ac proinde sit imperfectior. Tandem, vt ibid. dicebamus, nulla quantitas continua permanens, aut successiua, assignari potest minima. Similiter ergo in presenti, &c.

24 Obiicies tertio, pro eadem sententia. Materia prima est pura potentia: sed pura potentia est imperfectissima entium, sicut purus actus est inter entia imperfectissimus: ergo. Respondeo materiam iuxta disputata superius tract. 2. cap. 4. non esse puram potentiam entitatuam, sed tantum puram potentiam passiuam substantialem, hoc est ita receptiuam formarum substantialium, vt ipsa haud sit forma substantialis: at, vt esset imperfectissima entium omnium, priori modo, non posteriori deberet esse pura potentia.




TRACTATUS VI.

De vnitatem specifica materiae componentis essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

Materiam omnem sublunarem esse vnus speciei, posse tamen esse specificè diuersam, verius est.

1  VOD omnis sit de facto vnus speciei tueritur Huetadus d. 2. Phys. sect. 5. Suarez in Met. d. 1. sect. 1. num. 15. Tellez d. 2. Phys. sect. 4. conclus. 1. Conimb. lib. 1. de caelo cap. 9.

q 6. art. 4. & quod caput est, Arist. lib. 1. Phys. text. 69. & beatus Thom. 1. p. q. 66. art. 2. Probatur, quia nulla diuersitas per accidens, & contingenter talis variat speciem; aut essentiam: alioqui homo albus v. g. & homo niger erunt non vnus, sed diuersæ speciei: At tota diuersitas vnus materiae sublunaris ab alia est quasi per accidens, & contingenter talis: materia enim inanimis animari potest, solèturque: & animata formam fortiri inanimem: & quæ vni formæ subest, potest cuiuscumque alij subesse, adeoque dissimilitudinem, & diuersitatem à forma sua prouenientem deponere, & alteri materiae, cui dissimilis erat, adimulari. Ergo, &c.

2 Quod verò possit vna materia sublunaris, & corruptibilem formarum susceptiuam, diuersæ esse speciei ab alia, probabilis longè est, nisi valde fallor. Etenim quæ repugnantia esse potest in eo, quod aliqua materia sublunaris quarundam formarum corruptibilem sit receptiuam, & non omnium, alia verò aliarum, & non priorum? Cur implicet materia apta suscipere solas formas corruptibiles, non vitales, haud verò ad vitales & vitæ expertes ex æquo indifferens, sicut quæ de facto existit? An non subiectum substantiale completum formarum accidentalium, aliquod has, aliquod solas illas, non verò quodlibet quasiliber recipere potest? quidni ergo & ipsum in subiecto formarum substantialium corruptibilem, nempe materia prima sublunari, seruata proportione, possit euenire?

3 Contrarium tamen tuerentur Pater Suarez disp. 13. Metaph. sect. 1. 2. num. 6. & Pater Balthasar Tellez d. 2. Phys. sect. 4. num. 5. & cum eis alij, præsertim Thomistæ. Ex quibus obiicies primò. Materia prima sublunaris est pura potentia, nullam habens perfectionem, nullum actum entitatuam de se: non ergo potest specificè multiplicari; haud aliter ac è conuerso actus purus, ab omni potentialitate semotus, nempe Deus, nequit specificè multiplicari. Obiicies secundò. Actus est qui distinguit, vt fert commune proloquium: at nomine actus forma intelligitur, vtpote quæ subiectum actuat, sola ergo forma est radix distinctionis, ac multiplicatis specificæ, ac proinde materia prima sublunaris secundum se, & seorsim à forma sumpta nequaquam poterit quoad speciem multiplicari. Obiicies tertio: Materia sublunaris debet esse subiecta priuationi formarum, sed priuatio formarum ad has importat capacitatem: materia ergo sublunaris debet esse capax formarum omnium corruptibilem: adeoque per respectum ad illas haud potest specie diuersificari.

4 Quattò, & eodem redit: formæ omnes corruptibiles ac sublunares conueniunt in ratione separabiliter informandi: per ordinem ergo ad eas, & hanc earum informandi rationem, potest constitui vna species infima materiae, quæ alia esse non potest, quam materia de facto existens. Quintò, si est possibilis vna materia sublunaris diuersæ speciei ab alia, hoc est formarum quarundam corruptibilem capax, quarum est incapax alia; quidni possibilis adstruatur materia prima solarum formarum spiritualium receptiuam? Consequens autem hoc est absurdum: quia compositum ex tali materia & forma spirituali esset spirituale: esset quidem spirituale: quid enim haberet non spirituale? non formam; quippe quæ supponitur spiritualis: non materiam; vtpote quæ cum sit subiectum formarum spiritualium, & nullarum corporalium, haud potest non esse spiritualis: non denique vnionem, nimirum quæ nequit non sequi spiritualitatem extremorum suorum. Illud autem idem compositum non fore spiri